

# QUÆSTIO MEDICA.

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ Januarii.*

M. NICOLAO DE JOUVANCY, Doctore Medico, Præside.

## *An ad recte medendum singularis ægri natura potissimùm spectanda?*

I.

TRIA sunt investiganda Medico ; morbi species, remedium morbi, & ægri natura. De morbis satis multa in Medicorum libris: priscorum laus est propria morbi cujusque speciem, causas, symptomata, tempora verissimè signasse: recentiorum angulos, poros, aculeos humorum subtilius quam utilius inquisivisse. Quoniam individua morbosa curantur, non species morborum; ideo illæ non videntur potissimùm spectandæ.

I I.

DE medicamentorum facultatibus, satis multa pariter. Si votis non respondent semper, quæ à probis & doctis Medicis de plantis tradita sunt;

an propter mendacium , quod non cadit in viros probos? an magis propter peculiarem locorum, ac hominum naturam? à ciniflonibus multoties decantata nuſquam facta univerſalis Medicina, fucus & impoſtura. Uſque adeo uni ſpecie morbo non eſt unum ſpecie remedium : ipſi nequidem pleuritidi, quæ pro variâ ægri naturâ, quandoque emeticum, quandoque ſudorificum, non ſemper detractionem ſanguinis poſtulat. Mineralia & metallica remedia, optima.

III.

DE alimentorum delectu, apparatu, uſu, multo plura ars culinaria præcipit, quam ſapiens Medicorum diſciplina : quibus tamen it obviam Hippocrates noſter, quando monet ſuaviorem cibum ſalubriori anteponendum. Magno poſteris exemplo, & documento, quibus notum eſſe vult, in ſtomacho non tantum, ſed in omnibus corporis cavis, ſingularia eſſe in ſingulo homine fermenta ad quæ potiſſimùm ſit attendendum.

IV.

NATURA ſingularis græcis ἰδιοσυγκρασία, αὐτοφυὰ, cognitu difficilis. Nullum enim animal homine vivacius, nullum animoſius : & viciſſim: nullum valentius, nullum infirmius : nullum inediæ, frigoris, laboris, æſtus patientius : nullum minus patiens. Nullum tam ſolitarium, nullum tam πολιτικόν. Ad idioſyncraſiæ cognitionem viam ſternit.

Hippocrates quando docet oportere medentem ſpeculari ſingularia & communia. Nullus es in natura ſingulari, ſi non es doctiſſimus in operibus naturæ communis. Naturæ communis leges ne nimium audiveris à Carteſio à Gaſſendæo : parum conferunt illi ad medendum. Magis ab Ariſtotele & Galeno : multò magis ab Hippocrate & Chymiâ veriſſimâ ſcientiâ natutali. Chymiam appello, non eam quæ tam multa effutire ſolet, ſed eam quæ per poteſtates naturales ( acidum & alkali intelligo ignem & aquam Hippocrati dicta ) experimento multiplici comprobatas opus aggreditur & perficit. ἰδιοσύγκρασία αὐτοφυὰ patent omni Medico, ſi ægrotum habeat ad interrogata reſpondentem vel per ſe vel per alios ; dummodo interroganti Medico natura communis jam diu ante reſponderit.

V.

NATURAS morborum eſſe medicatrices edicit artis dictator perpetuus : quidni ergo ad illas potiſſimùm attendit qui curare ſatagit ? magnum eſt medicamentorum facultates noviſſe : præſtantius morbi cauſas & ſpeciem : præſtantiſſimum ægri naturam omnia gubernantem & foventem. Si junctis cum illâ copiis morbum oppugnat Medicus prompta & læta victoria ; ſin minus longum & fere luctuoſum bellum. Illines mercurio ? ſed pauciora & ſtrictiora in ore vaſa limphatica maligno per ſe & per medicamentum humori negabunt

exitum. Dyſenteriæ dabis hyppekakuana? ſed imbecillus hæreditariâ labe pulmo, & delicatioris texturæ interaneæ partes emeticum reſpuunt, &c. Sed inquiet aliquis, hæc rara ſunt, & rara non ſunt artis? artis fateor in libros conjiciendæ; non artis in uſum & ſalutem generis humani revocandæ. Quanquam hæc rara ſunt, quia rarò videntur à non videntibus nec inquirentibus agyrtis.

*Igitur ad recte medendum ſingularis ægri natura potiſſimùm ſpectanda.*

Domini Doctores diſputaturi.

*M. Joannes Baudin.*
*M. Guidonus Eraſmus Emmerez.*
*M. Michael de Hodencq.*
*M. Pontius Maurin.*
*M. Franciſcus Maillard.*
*M. Joannes Poiſſon.*
*M. Claudius Quartier.*
*M. Michael de la Vigne.*
*M. Petrus Perreau.*

Proponebat Pariſiis CAROLUS BOMPART, Claromontenſis, ex Arverniâ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.